

other Weight at V, because then their perpendicular Ascent or Descent will not be equal.

VI. *De Ingenti Sanguinis Vomitu perquam gelidissimis brumali tempore Potionibus curato, Observatio ad Regiam Scientiarum Londinensem Societatem à Petro Antonio Michelotto M. D. R. S. S. transmissa.*

QUUM Patritius Juvenis Præstantissimus Ludovicus Maffetti, rure, ubi venatione, & perequitando se vehementer exercuerat, in urbem reversus Sanguinem Decimo Calendas Januarias ciocccxxviii. ad uncias quinque, sexve matutinis temporibus vomeret, hujuscemodi curationem institui. Primùm, quòd Cruoris in Arterias, Venasque vim, eas distendere continenter nitentem insigniter, & præcipuè ex superfluyente Sanguinæ materiæ copia adauctam animadverteterem; minimèque ignorarem ipsum Nobilissimum Juvenem laborare scyrrhoso lienis tumore, ob quem, & Sanguinem vel hos ante quatuor annos evomuerat, & narium copiosis hæmorrhagiis à prima usque adolescentia vere, & autumno quotannis tentari consueverat; quæ, posteaquam fortuitò à lusoribus follis capiti impactus fuerat, ferè ex toto defecerant; quòd hæc, inquam, minimè ignorarem, ad uncias circiter octo ex hæmorrhoidibus Sanguinem per hirudines protinus mitti, ejus copiæ demendæ, atque à liene, & ventriculo avertendæ causa præcepi; tum aquam ex plan-

plantaginis succo, *corallato* nitro bene saturam cyathi mensura sæpius eo die forbendam præbui ad Sanguinis fervorem compescendum. Sanguineo verò vomitu circa secundam noctis vigiliam vehementiùs urgente, sub eoque, Sanguine maximo impetu copiosissimè ad os ruente, aquam ex lactucæ succo, *cydoniati* J. B. Helmontii *Laudani* guttis duodecim, unciarum quatuor pondo commistam confestim potui dedi, & Cruoris potissimum velocitatis minuendæ, & somni accersendi ergò: quod medicamentum, quum Æger, Sanguine ex ventriculo tertium, quartumque ingenti copia erumpente, rejiceret, ad catapotia ex perfici *philonii* scrupulis sex, ex aqua succi Sanguinalis herbæ devoranda decurri. Sub idem tempus gelidam aquam frigido aceto permistam ore contineri, spongiamque perfrigido aceto benè imbutam epigastricæ regioni admoveri jussi, ad sanguifera stomachi vasa, sive exesa, sive rupta, sive quocunque modo patefacta constringenda: quem in finem, quandoquidem idem cruentus Vomitus quintum, sextumque revertebatur, atque Æger exanimari videbatur, non modò ad confectionem ex contusis albi papaveris, & hyosciami seminibus rosaceo saccharo, armenia bolo, ac lapide hæmatite adjectis, femicochlearii pondere devorandam decurrebam; sed ad consolidantia quoque catapotia, quæ sub Autore *Helvetio* Patre feruntur, quorum terni scrupuli quarta quoque hora assumebantur ex aqua modò commemorata, in qua modica pollinis ex margaritis, & rubris coralliis in calcem redactis, itemque ex *magisterio* (ut Chymici loquuntur) oculorum cancerum portio soluta erat. Per hæc auxilia consecutus sum, ut Sanguis per aliquot horas conquieverit.

A Sanguinis per factas Venas detractioe ea nocte abstinui : primum, quòd Sanguinem ad libras duodecim, & ampliùs duarum circiter horarum spatio ex ore processisse, jacentemque ob id, in conclavi frigido, paucis vestimentis corpori injectis quietus animo linqui perspicerem ; tùm, quòd Cordis, & Arteriarum coagitatio, & quod consequebatur, residui Cruoris paucissimi velocitas esset quam maxima ; indè, quòd ad avertendum tantæ sanguineæ materiæ à ventriculo cursum, exiguam Sanguinis emissionem, & parvo quidem tempore duraturam, sive ex parte ab ipso affecto ventriculo minus remota, sive ex Vena quàm longissimè ab eo distante haud sufficere, existimarem ; postea, quòd, vel per medicam, hujuscemodì rebus circumstantibus, Sanguinis detractioem, sulphuratarum sanguineæ massæ particularum ad coccineas massulas pænè ex toto deficientes proportionem jam notabiliter (uti ex magna siti, corporis calore, brachiorum, & crurum jactatione, insignique pulsus frequentia conjiciebam) incrementem, una cum Sanguinis velocitate cruentum Vomitus rursùs excitare valente summoperè adaugeri posse, providerem.

Albente cœlo, Vomitu denuò reverso, ad Sanguinem, qui notabili tum quoque copia evomebatur, suppressendum, frigidum ex urenti urtica Succum, cui tostis opii grana octo admista erant, ad uncias quatuor potandum obtuli ; qui quum ex toto non responderet, ad extremum ratiocinando constitui, & Sanguinis Ductus in ventriculi cavum pertinentes ejus aerem condensando comprimere, & Sanguinem ab iis supportatum reprimere perquam gelidissimis potionibus quia verò cujusquemodì generis cibos, sive ex contrite

trito pane, sivè ex recentium ovorum vitellis, in galinaceorum pullorum jusculis, solutis, sivè ex pitrisana hordeacea, oryzæque cremore, Æger morbo fufus, stomacho maximoperè languente reddebat, forbitiones virium imbecillitati succurrentes, neque onerantes delégi: & primum quidem ex *chioccolatte*; tum ex vaccino lacte, & saccharo; indè ex hoc, & cremore ex dulcibus amygdalis, albique papaveris feminibus recens expresso: cujusmodi liquores frigoribus ex glacie & nitro congelati, scilicèt modò unus, modò alius quinta, sextave quaque hora ad uncias circiter septem hauriebantur, interpositis non multis quidem, sed sæpè nocte, ac die haud leviter sitienti datis ex frigida Nucerna aqua potionibus. Quæ curandi via maximè, quemadmodum ego arbitror, rationalis mirificè quum conferret, in ea perstiti ferè usque ad Februarii mensis proximè insequentis initium; quo tempore victum primis quidem diebus ex decocta in galinaceo jusculo oryza, conscissive triticeo pane, eodem jusculo, benè madente, aut recenti ovo; insequentibus verò diebus ex carnibus quoque, modò gallinæis, modò vitulinis, & interdum ex avibus imperavi: prætereaque ad imbecillum stomachum confirmandum præscripsi tincturæ ex absinthio sine vini spiritu extractæ guttas circiter sexaginta quotidie paulo ante prandium ex pimpinellæ herbæ aquæ cochleario sumendas.

Prætereo, me tertio, quartove morbi die vaccinum lac, butyro, ovi vitello, ac rubro saccharo admistis in ultima intestina per clysteres infundi, curasse ad atrum sanguinem ex ventriculo ad inferiores partes defluentem educendum: quem propterea quòd crassi ex fuligine

gine pulveris formam habere, animadverterem; à medicamentis ad Cruoris in ventriculi caveam effusi concretionem prohibendam, tollendamve, in quocunque Vomitu Sanguinis ab aliis medicis præscribi solitis abstinere, fatius duxi, quàm iis propinatis, ad effectum à curatione per gelidissimas potiones jam prosperè inceptum perficiendum vires adhibere videri, ejusmodi quamfrigidissimarum Cruorem cogentium forbitioum viribus planè atque omninò contrarias.

Atque hac quidem ratione medendi splendidissimum Ægrotantem ad desperationem redactum ex gravissima, & periculossissima, de qua hætenus retuli, valetudine, Oculatissimis, Clarissimisque Urbis Medicis, B. Zendrino, & Jo.D. Santorino mihi testibus liberavi: cui, ne in eundem morbum deinceps relabatur, Sanguinis uncias septem octove, tertio quartove quoque mense mitti jubeo, plerumque ex brachiis, interdum ex hæmorrhoidibus. Istiusmodi autem præsidii genere ad Sanguinis profusionem prohibendam utendi, causa hæc est. Splenis scirrho supra commemorato, Sanguinei ad eum attinentes Ductus magnoperè obstructi eam Sanguinis copiam, cui continendæ apti creati sunt, profectò capere nequeunt; reliqui igitur corporis, & quod consequitur, eò magis ventriculi ipsi lieni propinqui canales Sanguinem ducentes, quantitatem ejus naturali majorem contineant, necesse est: hique proptereà sic extrorsùm trudi, ac dilatari poterunt, ut Sanguini continenter ex ipsis manare conanti patefiant; sicuti plerumque contingit in maribus, foeminisque, quibus Sanguinis sputa, vomitus, aut ejus ex naribus profluvia propter insignes vasorum vel infimi ventris obstructions fiunt. Sed

in *lienosis præsertim copiosas, & immodicas Sanguinis susque, deque rejections* vidisse se narrat Jo. Riolanus; historiasque ex Hippocrate, & Valverda affert eorum, qui Sanguinis Vomitu ex turgente splene interiêre. Id ergò malum ne accideret, præcavendum mihi existimabam repetita Sanguineæ materiæ detractioe. Et quoniam Sanguinis in suos Ductus impetus velocitatis quoque incremento augeri potest; ob hoc, & aquæ frigidæ potum vini loco, & abstinentiam à venatione, cursu, aliisque ejuscemodi Cruoris motum vehementer accelerare potentibus imperavi, & eventu sanè ad ultimum usque mensem Anni MDCCCXXX. prosperrimo.

Nam eo anno postridiè Calendas Decembres in eundem Illustrissimus, atque Excellentissimus, de quo retuli, Patritius Sanguinis Vomitum noctu relabatur. Ad eum visendum protinus accitus; quandoquidem libram unam tantummodò, alteramve Sanguinis evomuerat, & plenitudinem boni adeste Cruoris videbam: quanquam cruenta Vomitio continuabat, & Arteriæ sub ea penè ex toto submittebant sese; nihilominus tamen Sanguinis uncias circiter decem, ad eum à ventriculi sanguiferis vasis avertendum ex vena in lævo brachio secta, nulla interposita mora, mitti jubeo; indè liquidi *Helmontii Laudani* guttas quindecim, octodecimve ex *pimpinellæ* minoris aquæ unciis quatuor sumendas præscribo; atque hujusmodi remedium somni inducendi, & cruoris velocitatis retardandæ causâ in usum vocatum, ter, quaterve, quòd Sanguinis Vomitu redeunte rejiciebatur, ea nocte ad propositum mihi finem consequendum repetere coactus sum.

Vomitus vix horas duas sub hisce auxiliis conquievit: eo autem semel, iterumque reverso, ex hæmorrhoidibus quoque Sanguinem ad uncias circiter quatuor educi præcipio, eodemque tempore ad quamgelidissimas, quæ aliàs felicissimè cefferant, optimèque nunc respondent in quadam Virgine profusissimo Cruoris ex uteri vasorum oppillationibus Vomitu ferè exinanita, sorbitiones devenio: & primùm quidem ad *Chiocolatte*, tùm horis circiter quatuor exactis ad alios congeliatos liquores, quos *Sorbetti* ex *Spumiglia*, & *Pappina*, vernacula Lingua hîc appellant. Ex cujusmodi artificiali gelu concretis liquidis, nempe modò ex uno, modò ex altero ad coercendum Vomitum, viresque reficiendas non multum quidem, ne ventriculum morbo solutum oneraret, sed sæpè Æger ferè exanimis degustabat. Hujusmodi per summè gelidas sorbitiones curandi ratione, Cruoris maximè gastricis Arteriis ac Venis contenti motum valentissimè refrenare potente, obtinui, ut Vomitus ad infrequentem usque diem quieverit; in quo bis reversus, iisdem quamgelidissimis potionibus pertinaciter tertia, quartave quaque hora repetitis iterùm compressus est.

Tertio mali die, Sanguinem quidem, at non in multa copia, Nobilissimo Ægrotanti denuò circa vesperam vomenti catapotia auri bracteis obvoluta, ad accersendum Somnum, & ad Cordis atque arteriarum coagitationes præternaturales compescendas, devoranda ex aquæ tormentillæ herbæ succi unciis tribus dedi, quæ recipiebant perfici *philonii* grana triginta, tostii opii semisrupulum. Hæc autem adedò responderunt, ut, & Vomitus protinus sedatus sit, & lon-

guscus somnus noctu accesserit. Dum hæc adversus Sanguinis Vomitionem gerebantur, alvus lacte, butyro, saccharo, ac ovi vitellis commistis, & in inferiores partes infusis, secundo, tertiove die ad nigrum Sanguinem ex ventriculo ad intestina sub bilis atræ specie jam quoque delapsum evacuandum ducebatur; aquaque præterea ex millefolii succo, in qua cotoneum malum parumper ebullierat, glacie gelidissima reddita ad stomachum æstu suo languidum erigendum, ad Ductus Sanguinem in eum importantes confirmandos, & ad sitim, quæ die tertio urgere coepit, moderandam sæpius die, ac nocte, parcè tamen, ne Stomachus ipse tunc multum admodum infirmus ad resistendum obrueretur, potui dabatur.

Dies duodecim frigidissimam hanc, tenuissimamque victus rationem, sub qua flatus quamplurimi per inferiora maximo cum crepitu descendebant, satis feliciter adhibui: post quod tempus, quum de ventriculi distendente dolore Ægrotus (quod præmemorata glaciale aqua ad depellendam, qua continuo ardebat, sitim abusus esset) gravissimè quereretur, illam dimisi; atque in ipsius locum substitui victum paulò pleniorum ex calidis gallinaceorum pullorum jusculis, in quibus recentis ovi vitellus cum permodica succi ex limonio malo portione solutus erat. Quæ juscula bis in die hauriebantur, interposita summis matutinis temporibus benè calida ex *Chioccolatte* forbitione, cui frigidæ aquæ potio, tum ventriculi refrigerandi, tum importunæ sitis elidendæ ergò præmittebatur. Adversus autem istiusmodi permolestam stomachi distentionem præter calentes forbitiones. catapotia quoque modò proposita inordinatos nervorum, & animalium

malium Spirituum motus componendi virtute prædita propinavi.

Quartodecimo die dolor, & tumor ponè sinistram aurem ad inferioris mandibulæ medium, & amplius sese exporrigens, posteaquam caput proximè à antecedentibus diebus leviter doluerat, extemplo iaboritur; eodemque tempore febris, quæ alioqui continens quidem, sed nequaquam ingens erat cum levi frigore, & aliqua mentis turbatione intenditur. Contra quem dolorem calida, humidaque fomenta ex vaccini lactis, & aquæ simplicis, in quibus sambuci flores decocti erant, partibus equalibus, spongiis admotis sæpè repetenda præscribo: per quæ humoris parotidam efficientis coitus intrà octo dies ferè ex toto solutus est. Post quod tempus febricula circà noctem paulum increfcens, mane se remittens continuabat; Aeger siti non adedè cruciabatur, frigidam Nucerinam aquam potabat; interdium vigilabat, noctu conquiescebat; calidis, quas dixi, sorbitionibus reficiebatur, & interdum ptisana quoque ex oryza utebatur. Natura vel dum benè valebat ructuosus, aliquando conquerebatur de quibusdam (ut ipse aiebat) acidis ventriculorum irritantibus, pituitæ, & nonnunquam alimentorum rejectum moventibus: adversus quæ absinthii tinctura semel die circà meridiem, sæpius frigida aqua ex Nucertino Fonte huc importata haud improspere pugnabam; atque interdum remedio persici *philonii*, & tosti opii; interdum quamgelidissima ex lacte, & saccharo, gelu artificiosè concretis, sorbitione ad crebrè ructantem, calidisque fermentationibus (quod ut facilè credam, haud leves sunt causæ) commotum
stoma-

stomachum componendum prospero successu, noctu utebar.

Circà diem quadragesimum aquosi humoris Vomitus decedebat; Arteriæ naturaliter ordinatæ erant; venter quotidie fatis; copiosam verò urinam vesica reddebat; & vires, ac ciborum appetentia accedebant sic, ut valentiorum cibum, frigidum videlicet ex cervino cornu, & vitulinis pedibus gluten Convalescenti paulo antequam nutrientia juscula supra commemorata sorberet, quotidie ter oporteret offerre. Ab ejusmodi alimenti genere primum ad oryzam in capi jusculo coctam, & gallinacea jecinora elixa; inde ad tenerarum gallinarum, vitulorum, coturnicumque carnes transit: edulio ex vaccino lacte, recentis ovi vitello, & tantilla sacchari portione, ad cochlearium unum, aut alterum commanducato, alvi movendæ gratia. Atque in præsentia sanus est, & benè valet. D. Venetiis Quinto Calendas Februarias MDCCXXXI.

Animadversio.

Propositum Sanguinis Vomitus per congelatas, quas recensui, sorbitiones supprimendi rationem, quam solidissimis ratiocinationibus esse innixam, demonstratu haud ita difficile est. Primum namque sanguiferi ductus Sanguinem in ventriculi cavum, sive rapturâ, sive erosione, sive raritudine propriarum tunnicarum, sive orum suorum aperturâ profundentes, glacialis ejusmodi congelatarum celeriter in ventriculum defluentium potionum frigoris vi, nulla re interposita tacti, quasi perusti, quàm citissimè, validissimèque

lidiffimèque fieri potest, corrugantur; tùm Sanguis his ipsis Ductibus contentus vehementissimè cogitur, atque in majores canales repellitur; deindè toto corpore ob idem gelidissimum frigus inhorrescente, reliquum Sanguinis in suis motibus lationis, & agitationis multum admodum retardatur, ac proin ejus impetus ex Cordis, & Arteriarum pulsus velocitate enascens, arteriosorum, venosorumque canalium extremis orificiis patefaciendis peropportunos notabiliter imminuitur; postea illæ ipsæ quamgelidissimæ potiones ex fatis nutrientibus massulis coagmentatæ per notissimas chyli vias Sanguinis alveos influentes residui Cruoris particulas, congregando absque ullo impetu resciant. Quum igitur, quam expono, adversus Sanguinis Vomitus pugnandi ratio, & ventriculi vomendi conatus cohibere, & Sanguinem sistere pluribus de nominibus valeat; subveniendique insuper, et promptè quidem imbecillitati Ægrotantis sufficienti virtute polleat: ecquis Saniorum saltem Medentium jam est, qui eam & maximè rationalem, & efficacissimarum in Cruorem vomentibus virium esse, non fateatur?

Pulcherrimam Aretæi ex Cappadocia græco-latinam editionem *Oxonia* ad me transmissam inspicienti mihi, Sanguinis Rejectionis Curatio, Acutorum morborum Libro Secundo ab eo proposita sub aspectum venit. Quum autem hanc perlegerim ad eum locum deveni, ubi *presentiorem medicinam in iis, quæ bibuntur, & devorantur*; esse, ait, quorum speciem triplicem existere subjicit; *vel ut vasa cogendo, comprehendoque fluxionis ductus quasi ligent*; *vel ut effluentem humorem incrassent, atque congelent, quo minus es-*
fun-

fundatur, quanquam exitus pateat ; vel ut vias exiccent, Sanguinem intrâ sedem antiquam retinendo, ne profluvio loci exinaniti maneant, & in eam partem exundent, ubi facta est effusio.

Miles ille in Græcorum Veterum Medica Disciplina gloriarum plenissimus, qui cujusdam Georgii Schmidt Corcyræ Nigræ ficti Medici cognomine Personatus, clamoso libello ranæ ad instar clamitans ranunculorum vim maximam hos ante sex annos in me commovit: Miles, inquam ille Gloriosus (ut Plautina phrasi dicam) *cujus ego legiones distilavi Spiritu*, ex hisce Aretæi verbis: *cogendo, comprimendo ; quasi ligent, atque congelent*: colligi posse, quòd Sanguinis Vomitus, cujus Historiam cum Medica Republica communico, curandi methodus sola ratione hoc in casu à me inventa, in ejusdem Cappadociæ Medicorum Principis De Curatione Sanguinis Rejectionis Capite contineatur, procul dubio dicitabit. Verum enimverò, id à veritate omninò abhorrere, evidentissimum fiet, remedia, quæ *valida, & ad concretionem efficacia* idemet vocat Aretæus, perpendiculari. Non enim glaciem, nivem, aut quos ego adhibui, conglaciatos liquores ad vasorum compressionem, & Sanguinis, quam cæteroqui necessariam cognoscis, concretionem inducendam proponit ; sed simplicem *poscam ; plantaginis, vucæ acerbæ, sanguinalis herbæ, seridis, coriandrivæ cum aceto succum ; aridam acaciam ; leporis, hinnuli, aut hædi coagulum ; terram Samiam, Etreriam, sigillatamque Lemniam ; corallium, sapam Creticam, pastillos ex Ægyptia Spina*, atque hujus generis alia multa, quæ hic referre piget. Quod ad alimenta attinet : ea adstringentia

gentia quidem, & facultate refrigerantia, vel tactu frigida esse debere, scribit: at verò mentionem tantummodò injicit *elotæ alicæ, oryzæ in posca, palmularum decocti, tostî panis sicci, contusi in farine speciem cribro trajecti*: ex quibus *Sorbitiones cum oleo (cui thymbra inspergi potest sale condita, cum rhoe) faciendas esse, præcipit. Si ex profusione mors timeri possit: injucunda etiam, & concoctu difficilia esse præbenda, ex galla arida contrita lenti siccæ, frigidaque inspersa, atque ova inter coquendum crassa effecta*, tradit. Atque his utendum esse inculcat, si *adstringere, & refrigerare* in animo habeamus. *Sanguinem autem, & spiritum incrasantia* auxilia recensens: ad hoc præstandum, *Sorbitiones ex lacte, amylo; aut ex alicâ modò cum amylo, modò cum lacte; alicamque præterea cum palmulis coctam, & ad consistentiam optimè perductam cum amylo, vel lacte, vel farre Thyrræno; itemque milium cum lacte*, atque horum similia maximè valere, perhibet.

Ut itaque leniori epilogo Militi nostro Gloriosissimo satisfaciamus: quum Aretæi neque alimenta, neque medicamenta adversùs Sanguinis vel à liene profusiones; congelatarum, quas Inclyto meo Ægrotanti cum rejectùs Sanguinis supprimendi, tum virium levissimo, gratissimoque cibi genere sustinendarum causa dedi, sorbitionum virtutibus æquales simileve obtineant facultates; hæque ab illis plurimum differant: nemo deinceps suspicari poterit, meam, antè recensitum Sanguinis Vomitum, per quam gelidissimas, fumis frigoribus, propinatas potiones edomandi, comprimendique methodum ab Aretæi fontibus emanasse. Si in supra allegatis Aretæi ver-

bis eam, de qua disputatur, curandi viam reapse subesse, idem Philogræculus Miles, ad Graiorum Medicæ Artis principum (quos *superùm* consiliis instructos credit) scripta, tanquam ad Sibyllinos libros adhærescens novisset: eam profectò; quatuor circiter abhinc annis, nimirùm dùm Patrio nostro Sanguinem copiosissimè primùm Evomenti unà cum aliis Medicis affideret, adhibuisset. At sub ejus curandi forma per largas, repetitasque Sanguinis detractiones, & medicamenta nitrum recipientia ex Clarissimo Georg. Stahlio excerpta Æger longo vitæ curriculo Dignissimus moriturus esset: inea autem opera à mortis limine revocatus est. Sed Philogræculum dimittamus: ad glaciali frigore curandi rationem revertamur.

Viri Eruditissimi Thomæ Bartholini de Nivis usu Medico libellum nuperrimis diebus quum evolverem, inveni non Abensinam modò potionem nive refrigeratam in calidis ventriculi passionibus imperare, sed & Galenum. Hic, eodem referente Bartholino, Senecam, *solutum & aestu suo languidum stomachum perurenti frigore erigendum esse*, in Naturalibus quæstionibus scribentem fortasse secutus: in ventriculo curando refrigerationem sibi proponit per aquam, cibos, fructus nive refrigeratos. * *Vidisti*, inquit, *& tu quosdam uno die, vel potius hora, frigida potione levatos; quorum aliis non aquam modo dedi fontanam recentem, sed etiam quæ nive esset refrigerata, veluti Romæ præparare solent: cibos præterea ad eundem modum refrigeratos identidem me illis permittere vidisti: iisdem dedi, & ptisanam probè coctam pariratione refrigeratam, aliaque id genus sexcenta.*

* Lib. vii. Met. Med. Cap. iv.

Præter Abensinam, & Galenum, Rhafem quoque Zacutum, Amatunq̄ue Lusitanos, Lud. Septalium, Laz. Riverium, atque alios, qui ad percalidum ventriculum multum infrigidandum, colicosque ex calidis, ac biliosis humoribus coortos dolores depellendos cibo, & potu gelido, & frigida aqua in linteolis ventri imposita usi sunt, adducit idem Bartholinus: qui autem Sanguinis rejectiones, effluentiasve ex quacunque corporis nostri parte, potionibus nive, vel glacie, quam frigidissimis redditis; aut alius generis gelidissimis forbitionibus curarint, profert neminem. Quod ad me attinet: congelatiatos ex melonum feminum cremore, & modico Saccharo liquores parca manu circa primum vesperum oblatos satis sæliciter hisce frigidissimis diebus expertus sum in juvenilis ætatis, & fervidæ temperiei Moniali ex Patritia Ericciorum Familia quamplendidissima; quæ ventriculi nervorum spasmo ab vehementi moestitia ortum ducente, lævumque ejus orificium ita constringente, ut, & gravem, suspiriosamque respirationem efficeret, & cum esculentorum, tum potulentorum vel parcissimè assumptorum descensum penè ex toto prohiberet, graviter vexabatur.

Hippocrates, quanquam *frigida, veluti nivem, & glaciem Sanguinis Eruptiones inducere*, scribit Aphor. Sect. V. Aph. xxiiii. nihilo tamen fecius Aphor. xxiiii. asserit: *in his frigida uti oportere, unde sanguis erumpti, aut erupturus est, & quidem circa ipsas partes, unde fluit.* Memini, me sex circiter abhinc annis, Sanguinis ingens ex utero profluvium, communibus medicamentis, & ne perfrigida quidem aqua quicquam proficientibus, promptissimè in Meritissima Matrona, media æstate suppressisse, perurente glacie genibus, & cruribus super imposita, cruralibus,

& quod confequitur, iliacis, aliisque in uterum definentibus Arteriis, ac Venis maximopere coarctatis, repressoque propterea, ac veluti ab consuetis viis intercluso Sanguine.

Verumtamen, tametsi quam gelidissimas, quas sæpius commemoravi, fortibiones adversus cujusque modi profluvia Sanguinis, & maximè ex ventriculo, ab immodico Sanguinei amnis fervore, & accelerato motu enata, aut cum his conjuncta, & in juvenibus potissimum, quibus cruor, & stomachus ex æstuat, magno perè collaudo: non idèò tamen suadere amsim, ut illæ ipsæ congelatæ forbitiones mulieribus Sanguinem ex partu vomentibus, aut frigidis ventriculi, atque intestinorum fermentationibus obnoxiiis sine ullo discrimine propinentur. In Sanguinis ex partu vomitionibus: uti neque *multa calida aqua lavarem*, neque *tepefactoria* (quemadmodum Hippocrates tùm in libro de Morbis Muliebribus, tùm in eo, quem de Natura Muliebri inscripsit, indiscriminatim præcipit) tam facile adhiberem: sic asininum, & vaccinum lac ab eodem Hippocrate iis in casibus præscriptum haud quaquam planè damnarem. Sanguinem, inquam, ex lochiorum suppressione, aut imminutione evomentibus; primum venas in pedibus secari ad Sanguinem à ventriculo revocandum; tùm calidis fomentis ex aqua, & albo vino, in quibus emollientes, aperientisque herbæ ebullierint, hypogastricam regionem frequentissimè foveri, cruraque, & pedes eodem tempore multa calida aqua lavari juberem ad uteri vasa referanda; indè ad lac, humectandæ & reficiendæ sanguinæ massæ causa, transirem. Sin verò mulieri sanguinem vomendo rejicienti puerperii purgationes naturaliter fluerent, non calidis

lidis fotibus, & lavacris, fed remediis Sanguinis impetum fedantibus, ejus calorem cogendo moderantibus, confirmantibusque vafa ventriculi, ad fingulas circumftantes res attentè refpiciendo, cruentum vomitum fupprimere pertentarem. Eo autem compreffo ad lacteam diætam, vel hac non conferente, ad reficientes potiones ex *Chiocolatte*, nutrientibus gallinaceorum pullorum, ranarum, terreftriumve teftudinum jufculis, atque horum fimilibus devenirem.

F I N I S.

L O N D O N :

Printed for W. INNYS, at the *West-End* of St.
Paul's Church-Yard.

M D C C X X X I.